

ÉDITION 2025 : « Héritage(s) »



CIC
ÉRO
NNA
DES

SEMPER LOQUITUR

LATIN

LYCÉE

TEXTE EN VERS

Memnona si mater, mater plorauit Achillem,
Et tangunt magnas tristia fata deas,
Flebilis indignos, Elegeia, solue capillos.
A ! nimis ex uero nunc tibi nomen erit;
Ille tua uates operis, tui fama, Tibullus
Ardet in extracto, corpus inane, rogo.
Ecce, puer Veneris fert euersamque pharetram
Et fractos arcus et sine luce facem.
Adspice, demissis ut eat miserabilis alis
Pectoraque infesta tundat aperta manu ;
Excipiunt lacrimas sparsi per colla capilli,
Oraque singultu concutiente sonant.
Fratriis in Aeneae sic illum funere dicunt
Egressum tectis, pulcher lule, tuis ;
Nec minus est confusa Venus moriente Tibullo,
Quam iuuenis rupit cum ferus inguen aper. [...]
Durant, opus uatum, Troiani fama laboris
Tardaque nocturno tela retexta dolo.
Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt,
Altera, cura recens, altera primus amor.
Quid uos sacra iuuant ? quid nunc Aegyptia prosunt
Sistra ? quid in uacuo secubuisse toro ?
Cum rapiunt mala fata bonos (ignoscite fasso)
Sollicitor nullos esse putare deos.
Viue pius ; moriere pius. Cole sacra ; colentem
Mors grauis a templis in caua busta trahet.
Carminibus confide bonis ; iacet, ecce, Tibullus,
Vix manet e toto, parua quod urna capit.

OVIDE, *Les Amours*, III, 9 (extraits),
édition H. Bornecque, Les Belles Lettres, "Classiques en poche", Paris, 2005.